

DE AEDIFICIIS PRIVATIS.

8.10.1

Impp. Antoninus et Verus AA. Tauro.

Et balneum, ut desideras, instruere et aedificium ei superponere potes, observata tamen forma, qua ceteri super balnea aedificare permittuntur id est ut concameratis superinstruas et ipsa concameres nec modum usitatum altitudinis excedas.

PP. sine die et consule.

8.10.2

Imp. Alexander A. Diogeni.

Negotiandi causa aedificia demoliri et marmora detrahere edicto divi Vespasiani et senatus consulto vetitum est. ceterum de alia domo in aliam transferre quaedam licere exceptum est: sed nec dominis ita transferre licet, ut integris aedificiis depositis publicus deformetur adspectus.

PP. XI k. Ian. Alexandro A. cons.

[a. 222]

8.10.3

Idem A. Apro evocato.

An in totum ex ruina domus licuerit non eandem faciem in civitate restituere, sed in hortum convertere, et an hoc consensu tunc magistratum non prohibentium, item vicinorum factum sit, praeses, probatis his quae in oppido frequenter in eodem genere controversiarum servata sunt, causa cognita statuet.

PP. VII k. April. Iuliano et Crispino consss.

[a. 224]

8.10.4

Imp. Philippus A. et Philippus C. Victori.

Si, ut proponis, socius aedificii ad refectionem eius sumptus conferre detractat, non necessarie extra ordinem tibi subveniri desideras, etenim si solus aedificaveris nec intra quattuor mensuum tempora cum centesimis nummus pro portione socii erogatus restitutus fuerit vel, quominus id fieret, per socium id stetisse constititerit, ius dominii pro solido vindicare vel obtinere iuxta placitum antiquitus poteris.

PP. III k. April. Philippo A. et Titiano consss.

[a. 245]